

novo vase conicitur; deinde cum gelaverit se adeps, oportebit fundum caccabi perforare et vinum omne emittere atque in priorem caccabum adipem eandem conicere et vini eiusdem recentis eandem mensuram adicere resque non nimis contusas nec percribratas: nardi Syriaci spicae pondo
 5 sextantem, saliucae pondo sextantem, amomi pondo quadrantem, cassiae pondo quadrantem, myrrhae pondo trientem, cinnami pondo trientem, rosae aridae foliorum pondo sextantem. deinde semel mane et in nocte semel infervefacere oportet, idem in postero die; cum infervefacta fuerint, percolanda erunt in caccabum priorem pertusum, sed ante dili-
 10 genter et spisse obturatum, atque ubi congelaverit se adeps, extrahendum erit spissamentum ut vinum omne effluere possit. quod cum defluerit, quod superest adipis vase stagneo uno vel pluribus diligenter operto et adplumbato reponitur.

Harum compositionum, si qua fides est, ipse composui plurimas et ad
 15 ea, quae scripta sunt, facientis scio; paucas, sed valde paucas ab amicis (et ipsis aequae ac mihi credo) acceptas adieci, quas cum iureiurando affirmaverunt se ipsos expertos esse et bene facientis scire ad vitia quae scripta sunt. illud autem te meminisse oportet, mi Calliste, quod initio dixi, eadem medicamenta in iisdem vitiis interim melius deteriusve re-
 20 spondere propter corporum varietatem differentiamque aetatum temporumve aut locorum. eadem enim res in dissimiliter dispositis corporibus non possunt eosdem effectus exhibere; sed adfirmo ex magna parte prosperos eventus, si quando opus fuerit, has compositiones habituras.